Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Reden und Arbeiten der Societas Latina - Cod. Karlsruhe 3420, 1-4

49 Vorträge in wörtlicher, meist eigenhändiger Wiedergabe - Cod. Karlsruhe 3420,1

Sonntag, Karl Gottlob

[Karlsruhe], 1772-1776

[Flachsland, J. G.]: Ad Locum Plinii Lib. 8, Ep. 22, Qui ceteris ita ignoseit tanquam ipse quotidie peccet, ita peceatis abstinet tanquam nemini [..] optimum esse et emendatissimum 17. Juni 1775

urn:nbn:de:bsz:31-99825

Visual Library

Ad Locum. Plinii. Lib. VIII. Ep. XXII.

Qui ceteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet; ita peccatis abstinet,
tanquam nemini ignoscat, optimum esse et emendatissimum
edocuit
J. C. Flachsland. A. M.
d. 17. Juny. 1775.

20 Jun 1775 – 246 J. ort

BLB BADISCHE LANDESBIBLIOTHEK
Baden-Württemberg

OECONOMIA.

Thema Duplex eaque diversa in ignoscendo FACILITas.

Partitio: I. Altera, hoc licentius peccantium, ut veniam et ipsi impetrent.

II. Altera eo severius peccatis abstinentium, ne egeant. —

P. I. Vituperanda. Nam
Virtus non est, quicquid ex animo peccandi provenit.
Qui re bona in malum finem abutuntur, hoc ipso peccant. —
Neque vero ignoscendum est unquam, ut ipsius mali pravitas simul extenuari videatur.
Sordida est porro hac ignoscendi facilitas. Namque
Abjectum per se est, ac servile facere mala. —
Multo vero abjectius et servilius habeatur, mala faciendi licentiam velut mercari. — ac denique
Nociva.

P. II. Facilitas ignoscendi vero, in qua nobis ipsi a peccando studiose cavemus
Laudabilis plane. et
Imitabilis. ac
Generosi emendatique animi documentum. —
A) Generosum est, quod animo ignoscunt a pravo aversi custoditoque
1) Primum in eo cernitur: quod ignosci sibi nolint.
2) Generosius in iis est, quod parate ipsi ignoscentes ceteris, cavent, quantum plurimum possunt, ne sibi ignosci necesse sit. —
α) Siquidem nihil plane erroris aut vitii in se cadere, qui possit vere gloriari, mortalium nemo est. —
β). Sed crebra eaque graviora peccata cavebit diligens intentaque nostri cura. — ac
γ). Vel sola malefacti conscientia minuit animum, deprimit, excedit denique.
B). Emendationis ratio aperta est.
a) Sunt enim emendati animi duae vel praecipua nota FUGERE mala et FERRE.
b) Utraque, indulgentia et sanctitas, virtus in ea facilitate comprehenditur.

Director Excellentissime!
Socii Honoratissimi

In omnibus, quae fiunt, duo semper consideranda sunt, tum quid quis fecerit, namque vel bonum vel malum potest esse factum; tum quo animo quibusve caussis factum sit. Neque enim ulla sex actio recte dijudicari potest, quoad principium agendi et agentis voluntas non constiterit. — Ac potest idem factum prout diversis caussis impulsi sunt, qui fecerint, aut probari atque laudari, aut vituperari damnarique. —

Potest hoc vel ex iis actionibus, quae in cetera animalia admittuntur, illustrari. Quae utcunque inter se conveniant ex diversa tamen agendi caussa plurimum quandoque differt. — Ut, si quis a periculo iminente fuga sese liberaturus, jumentum quo vehitur vehementius concitaverit, ut ex defectu virium et imodica agitatione succumbat; alius contra nulla graviori caussa, per petulantiam unice et ludibrium animalia bruta crudeliter habuerit, ac temere etiam necaverit, utrinque omnino magna est facti diversitas. Ille enim ex officii ratione fecisse intelligitur, ut rebus suis consuleret, vitam, quemadmodum naturae lege praeceptum est, tueretur: hic vitium comisisse merito existimabitur, injusto modo, nec sibi utili saevitiam exercendo, simulque creatorem omnium rerum offendendo, ad quem solum jus vitae necisque pertinere, quisque intelligat. —

Adeo dispar et contraria potest esse factorum eorundem natura pro diversa facientium conditione. — Quo valet scite et venuste dictum a Quinctiliano: Multa fiunt eadem, sed aliter. — Plurimum igitur refert, quoties judicium vel in laudem, vel in vituperationem ferendum est, requiri ante omnia a Quo quid fiat et Quare! Quoad enim conditio, et ut ita dicam, summa ipsius facti sive complexus earum rerum, quae circumstant et comitantur,

ignoratur;

ignoratur, minime gentium naturam hujus definire aut
dijudicationi solidæ subjici posse, manifestum est. - Idq; spe-
-ciatim etiam tum observabitur, quum facilem se quis
præbuerit ad ignoscendum ceteris. Ipsum enim hoc
quandoq; vitiosum esse potest, si quidem facilitas ea a
depravato animo et ipso in mala prono, oriatur. —
Quippe nihil aliud in eo sectantur, qui talem facilita-
-tem ceteris adhibent, quam quo et ipsi peccata libe-
-rius committant, turpissimo fine sibi proposito, ut alienis
vitiis specie ignoscendo et colore inducto, sibi eadem pa-
-trantibus sint excusatiora, vicissimq; erga se mutuum
liberaliter condonandi mala officium observetur. —
E diverso pulcherrimum habebitur laudandumq; pronam
exhibere ad ignoscendum voluntatem, modo animus
recte sit constitutus et compositus. - Factum enim, ut tale,
quanquam bonum probandumq; fuerit, finis tamen faci-
-entis sæpenumero rejiciendus. - Quippe quæ a depravato animo
facta oriuntur, sub specie quadam bonitatis perpetrata, ut,
quod mali subest, eo melius abscondatur, neve, quæ sunt mala,
esse habeantur, hoc plus dedecoris pravitatis plerumq;
inde accipiunt. Iuvabit igitur plurimum etiam ig-
-noscentium animum, caussasq; ignoscendi diligenter requiri,
ubi constituendum est, laudandi an vituperandi materia
in eo contineatur. —

Quare ego animum jam induxi, duplicem eamq; diversam in ignoscendo
facilitatem pertractare: -

<u>Altera</u>. hoc licentius peccantium, ut veniam et
ipsi impetrent,

<u>Altera</u>: eo severius peccatis abstinentium,
ne egeant. I

Vos vero, AUDITORES HONORATISSIMI,
benignas adhibeatis orationi meæ aures; rogo et ob-
secro. –

Ego prima, quam posui, quare sit Vituperanda,
Sordida & Nociva, primo loco erit mihi dicendum. –
Nimirum quicunque peccata ceteris ignoscit, quo sibi excusa-
-tius peccare liceat, merito vituperabitur. Quæ vitupe-
-ratio unde ducatur accuratius jam dispiciamus. – Omnino
autem virtus non est, quicquid ab animo peccandi pro-
-venit. – Profecto enim virtutem assequi non studet, neque se-
-cundum ejus legem præceptaque vitam instituit, sed eidem
apertissime ac sibi ipsi inimicum se ostendit, qui in om-
-nibus rebus virtuti contraria complexus fertur in
mala. Cujusmodi enim est virtus, illud Dei donum pre-
-tiosissimum? Quænam est illius natura? Quid poscit
eadem? Quid secum fert? Primum sane omnium debet
esse recta faciendi propositum, malique aversio. quæsi
desunt tantum abest, ut unquam virtutem assequi li-
-ceat, ut in pravitate potius animus magis semper
induretur, longiusque ab illa recedat. – Ideo, qui li-
-centiam peccandi re ulla sibi parare studuerit, malaque
sua idcirco, quod cum ceteris communiter fiunt, ex-
-cusari velit, quod faciunt perliberaliter ceteris
-ignoscentes, et ipsi licentius peccaturi, hoc ipso

se

se a virtute alienissimum esse, commonstrat. Quoties enim malum esse a se perpetratum perspicies, si volis nugis crimine et noxa se explicare nisus, pravitatem minuendo, parum a malo deterrebitur, sed data facultate idem etiam in posterum committet. Quo fit ut vitiorum insidiis et laqueis validius semper irretitus, deterior indies evadat, a dulcissimo virtutis commercio seclusus. — Tristem ac miserandam illorum hominum sortem! Ita quae per se est virtus ignoscendi, siquid offensum ab alio sive peccatum est, in hoc desinit esse, ac propter illum animum, remotum a virtute, reprehensionem etiam justam incurrit. —

Dein qui re bona in malum finem abutitur, hoc ipso peccat, sicut: qui excellenti ingenio et acuto praeditus, in prava applicat, futilia agendo corrumpit, aut etiam sceleribus perficiendis immergit, summopere reprehendendus: ita fit in omni alio genere, quum optima quaeque, optimis finibus adhibenda, in contrarium perperam vertuntur. — Quumque sit pulcherrimum et humanissimum errantibus se facilem praebere, neque poenitentibus instare acrius, modo ea poenitentia proficiat, ut meliores fiant: manifestum est, qui ipse liberius peccaturus ignoscit, propter id ipsum quod ignoverit, maximopere eum esse culpandum. —

neque

Neq; porro ita ignoscendum est unquam, ut ipsius mali pravitas simul extenuari videatur. Talis condonatio in gravissimorum peccatorum numerum cadit. Nempe non modo nihil comodi adfert ista ignoscendi ratio, neq; ad bonam frugem rediturus quispiam juvatur, verum etiam nequissimus quisq; excusationem præ se ferens turpiter factorum, rectos alios et innocentes ad eandem pravitatem allectos, pervertit. – Quid mirum dein, quare plurimorum animi in mala inclinentur? Adeo parata sibi apud illos homines venia malefactorum et indulgentia, ut re sibi quidem magnopere peccasse simul persuadeatur. Ita nempe securus rursus faciet iteratoq;, cui aut non esse malum, quod feceris, aut levius esse persuaseris. Tali modo, qui sunt patientes malorum et incuriosi, quam periculosas humanæ vitæ virtutiq; insidias struant, quis non intelligit? Expeditum enim est, quum pessimo cuiq; flagitia malaq; in deliciis sint, omnem occasionem peccandi, omnemq; materiam hoc cupidius amplexurum et conquisiturum, quo comodiorem esse sciverit excusationi veniæq; locum; qua iterum iterumq; præbita in infinitum

malefacta

malefacta adcumulabunt; spe nulla relicta ad sani-
-tatem mentis redituros, utpote peccatorum gravi-
-tatem aspernantes. - Alioquin non temere morta-
-lium ullus rationis usu eo usque destituitur, ut
ne quando in se malorum auctorem respiciat re-
-vertaturque, ac vitæ melius instituendæ propositum
intra se revocet. - Sed contra agit illud flebile
genus hominum, præpeditque reditum ad meliora.
Quippe ignoscendo perinde faciunt, ac si parum
esset in peccato momenti, neque referat multum,
peccaverit quis vel minus. Hæc pestifera opinio,
quoad animum obsidet, operæ pretium non puta-
-bitur reverti ab eo, quod aut malum admodum
esse non credunt, aut si crediderint, excusari ta-
-men et levissimo quoque piaculo tolli posse, existi-
-mant. - Tali homine perditissimo, et omni dede-
-coris genere concreto, flagitiis cooperto contami-
-natoque, quorum turpitudinem aut ignorat, aut dis-
-simulat, nihil levius, nihil inquinatius cernimus;
pariterque illius consortium ac consuetudinem,
quam possumus, diligentissime, fugiamus. - Quemadmo-
-dum enim pestilentis morbi contagium, sana corpora
viribus integra invadit, sic et illorum perversitate,
animus integer, virtutem colens, præclarisque laudibus
ornatus haud raro divertitur, corrumpitur, persua-

=datur

datur. —
Sordes quoque habet ista prava ignoscendi facilitas et
abjectissimi animi apertissimam notam. Nempe
abjectum per se est ac servile facere mala. Quae-
-libet enim actio prava, uti est contra hominis
naturam, rectis legibus subjectam, ita de illius de-
-core et dignitate, quam tueri fas est, detrahit. —
Crebris porro peccandi actibus semper a liber-
-tate suique imperio longius recedunt mortales,
vitiorumque durissimo, utcunque in principio blan-
-diente, servitio opprimuntur. — Annon enim
foedam hanc dicamus servitutem et turpis-
-simam omnium, qua ita emergimur consuetudine
mali, eoque peragendo illo usque deprimimur, ut
sursum nos ferre et eluctari nulla ratione que-
-amus. E contrario nobilissima libertas ea ha-
-beatur, qua mens nostra, rationis lumine collustra-
-ta, sibi sola imperat. — Cujus suavitatem, qui
sensit jam, animus ad bona pronus atque erectus,
eaque fruenda exaltatur unice, nunquam ad indignis-
-simum vitiorum servitium se detrudet ipse, nec sponte
sua inexplicabili juxta et spurcissimo vinculo liga-
-bitur. — Multo vero abjectius et servilius habeatur, ma-
-la faciendi licentiam, velut mercari: Quod faciunt
misericordes illi et faciles, eam quasi legem ignoscendi
ceteris constituentes, ut vicissim, quae criminali se patrata
fuerint,

fuerint, ne imputent, hocque modo, tanquam ex pactione mutua inter illos servetur malorum dissimulatio. Quis non abjectissimum hujus farinæ hominem esse confiteatur? Nomen hujus erit insigniter improbi bonorumque hostis.

Quæ quum ita se habeant intelligitur porro TALI FACILITATE NIHIL ESSE NOCENTIUS. Est enim plurimorum malorum concatenatio quædam, ut alia plerumque ex aliis gignantur, et uno admisso plura sequantur. Ex quo sæpe immensa peccatorum series atque cumulus exsistit. Quippe tum ipsi, qui eo modo malefactis aliorum indulgent, hanc datæ veniæ mercedem exposcunt, ut ab illis recipiant, scilicet præmium paciscuntur pessimum turpissimumque. Namque eo se solutiores jam arbitrantur, quod præveniendo ceteros condonandi liberalitate, hanc vicissim gratiam meruerint. In ea persuasione dum versantur, primum quam incongruum sit, talem gratiam tali modo mereri, non sentiunt. Nimirum et fas est, petenti ac pœnitenti veniam dari, sicuti ex pœnitentia jam subit, cavendi animus sit, vitandique: nihil tamen imprudentius eo fieri potest, quum nimia facilitate, adcelerata venia et obviam quasi ad quæcunque malefacta proposita, hoc ipso efficitur, ne serio pœniteat. Ipsi vero, qui faciunt hoc, sibimet

plurimum

plurimum noceret. Freti quippe mutua aliorum gratiæ sibi impertiendæ facilitate, hoc promptius incustoditiusq; in flagitia et dedecora ruunt, quo minus imputatum iri confidunt. — Tum alios quoq; ad flagitia atq; scelera, culpam dissimulando, invitant, sic sibi mutuam redempturi indulgentiam: quo ipso, ut jamjam dixi, minuere vitia conantur. — Quod si fit in personis, officia rerumq; publicarum administrationem gerentibus, pestilentissimum omnium malum est. Videlicet, quum ipsi bonis, quibusve rebus prælucendo aliis, rectos confirmando, pravos emendando, exemplum omnibus veræ virtutis esse deberent, e contrario data sibi potestate in consensum facinorum abutentes, mutuam inter se criminum dissimulationem et taciturnitatem velut pacti, vim scelus, injustitiam proterve in cives exercent, nilq; omnino reliqui faciunt ad pervertendam reipublicæ salutem. — Quid enim in isto malorum in mala consensu, si potestas quoq; accesserit, amplius securum esse poterit? Aut quid non pessimus quisq; sibi licere putabit, qui licita omnia et aliis relinquit. — Quo si ventum est, cunctis in pravitatem conspirantibus, nulla erit porro, ut facile perspici potest, aut privata, aut publica salus. —

Est vero alia IGNOSCENDI RATIO longe praestantior atque
nobilior, qua ipsi, ne venia egeamus, diligentissime ma-
-la cavemus. - Quae quidem nunc in altera parte ora-
-tionis copiosius a me demonstrabitur. Atque ea, quam
modo dixi, ignoscendi facilitas, in qua nobismet a
peccando studiose cavemus, LAUDABILIS plane
et IMITABILIS, GENEROSI EMENDATIque
ANIMI documentum est. - Generosum hic non id
dico, quod ignoscunt, idem facientibus his, de quibus
antea dictum, sed quod animo ignoscunt, a pravo aver-
-so custoditoque. - Generosi autem animi vel praecipua
nota malorum aversatio. Eaque generositas tribus
potissimum modis ostenditur. Primum enim ge-
-nerosi quiddam in eo cerni potest, quod ignosci
sibi nolint. Videlicet is cui ignoscitur in hoc cer-
-te, quod peccavit, semper deterior est eo, qui dat
veniam. - Sibi igitur cavent recte apud animum
constituti, ne unquam pravi ac deteriores ceteris
credantur. Erecti quippe jam animi est deteriora aspernari.
Neque vero tantum, ne simus deteriores, laborandum, sed ut me-
-liores etiam, quoad ejus fieri potest, evadamus, in hoc vel
maxime incumbamus. - Nam quibus hoc unice cura est, ne
sint pejores ceteris, a summa laudis studio retinentur. -
Sed cum indesinenter bonis studemus, simul illud re-
-ctissimum cavebitur. - Dein naturale est, ut pudor sequa-
-tur poenitentiam. - Namque dum actionibus nostris nobis at-
-traxisse malum perpendimus, oritur poenitentia, hancce
sequitur pudor, quippe dum metus ex sinistro aliorum judi-

-cio

-cio, pravis actionibus nostris alitur. – Quando igitur utrumque
generoso animo est contrarium, nolet sibi ignosci a quo-
piam, ut quod poenitentiae et pudoris argumentum est.
Jamque porro ex accepta quoque venia aliquo modo con-
-stringimur. – Neque enim, si idem fecerimus, libere alios
admonere aut corrigere licet, aut mala punire, data
scilicet eadem objiciendi caussa. – Quae quum paullo
elatior animus abhorreat, nec volet propter veniam im-
-petratam, vel indulgentiam facile cuipiam obligari.
Neque vero haec, quae dixi, excelsi ac generosi animi fa-
-rent, nisi hoc imprimis accesserit, ut culpa caveatur:
Culpa enim admissa, veniam aut non quaerere, aut ob-
-latam renuere, humile, pervicax, malitiosum est. Nimi-
-rum aut sibi non ea opus esse, aut condonari sibi non
convenire credat necesse est. In utroque manifestum per-
-versitatis et malitiae argumentum cernitur. Qui
flatur miserrimus est, et deplorandus. – Multo igitur
in his, quos nunc spectat sermo, generosius illud est,
quod parate ipsi ignoscentes ceteris, caveant, quantum plu-
-rimum possunt, ne sibi ignosci necesse sit. —
Equidem nihil plane erroris aut vitii in se cadere, omnique culpa
vacare, qui possit vere gloriari mortalium nemo est. – Nec pa-
-titur humana infirmitas. – Neque vero ea hic spectanda quae
omnibus vitia sunt communia. – Pari enim omnium culpa,
ne venia quidem opus erit. Sed crebra, eaque graviora peccata
cavebit diligens, intentaque nostri cura. – Quo facto nihil erit
necesse, ignosci nobis. Eoque quemadmodum liber separatur ani-
-mus, metu solutus, objectu criminis vacuus, atque tranquilli-
-tati.

-tati nostræ optime consulitur, si quoq; vere hoc generosum est. – Namq; vel sola malefacti conscientia minuit animum, deprimit excidit deniq;. – Mente quippe malorum conscia, criminum vel tacita ostentatione exulcerata, felicitas nulla potest haberi. — Tristi id eorum experimento edoctum est, qui ægre inculpationibus ac morsibus conscientiæ ad tempus perlatis, inquieti, adflicti, timentes postremo succubuerunt. – Quare in integritate et innocentia custodienda summum cujuslibet hominis studium reponendum. – Quibus retentis, Tranquillitas, hilaritas & vera animi magnitudo retinebitur. Quod faciunt ita, qui, ad ignoscendum ceteris prompti, cavent, ne sibi ignoscendi caussa et materia temere aliis præbeatur. –

Quo simul et emendationis ratio aperta est, cujus in eam, qualem finivimus, ignoscendi facilitate, indicium contineri, eram demonstraturus. – Sunt enim emendati animi duæ vel præcipuæ notæ: FUGERE mala ac FERRE: Quorum alterum cum hoc intelligendum, in quantum possimus; alterum quousq; debeamus. – Neq; enim vero, aut omnia, quæcunq; fiunt, mala debent ferri, aut omnibus ferenda. – Hic tamen de eo mihi sermo non est, quid publice fieri fas sit, legum et magistratuum auctoritate, alias quoluq; e civili constitutione impunitas danda vel vindicta sumenda. Sed quid privatus debeat esse hominis in hominem sensum. –

Ergo

Utraque Indulgentia et Sanctitas, virtus hic comprehen-
ditur. — Quodsi igitur emendati, recteque informati et
excelsi animi ista esse putantur, alieni erroris in uni-
versum, offensarumque patientem esse, errantium vicem
dolere, peccantes a pravitate abducere; edocere, non
pervertere; corrigere malos, non perdere; mala facta
improbare, non damnare facientes; se suaque potius
custodire, quam alienis intendere; ex aliorum lapsu
lapsum cavere discere, et sapere; omninoque humana hu-
mane judicare; et quae his sunt contraria, impe-
tus, acerbitas, contumeliosa factorum cujusque exa-
gitatio, atrox malis mala referendi studium, aestuans
vindictae cupiditas, quantum potest fieri, maxime vitare;
Quodsi igitur sunt haec manifesta, et esse ab omnibus du-
cuntur emendatioris animi signa: cum profecto, qui
ceteris ita ignoscit, tanquam ipse quotidie peccet,
ita peccatis abstinet, tanquam nemini ignoscat, op-
timum esse et emendatissimum necesse est
confiteamur.